

omnia quattuor simul / et singula tota simul sub speciebus pa-
nis et vini perfecte continentur. non minus in calice quam in hostia
nec minus in hostia quam in calice. nec in uno defectus suppletur
alterius. sed in ambobus innuitur misterium de quo est gratia
dis sermo. Sufficit autem credere verum deum et hominem sub
utraqque contineri specie: cui et assistit angelorum frequentia et san-
ctorum presentia. Vide quod pulchre christus sub his duabus speci-
ebus tantum continetur. Primo quia panis et vinum optimi sunt
nutrimentum totius hominis. Nam panis nutrit corpus siue
carnem: et vinum transit in sanguinem. qui est sedes anime.
Secundo quia usus eorum communior et principalior est ac
mundior et minus fastidiosus habetur. ideo puritas refecti-
onis spiritualis optime per ista significatur. Tercio quia op-
time figurant corpus et sanguinem. Nam panis significat
corpus illud triturratum molitum et passum in passionibus
decoctum et assum igne divini amoris in camino et ara cru-
cis. Vinum vero significat sanguinem: qui de viva scilicet christi
corpore est in torculari crucis pressus. Quarto pulchre si-
gnificat corpus christi mysticum / scilicet ecclesiam collectam
ex multis fidelibus predestinatis ad vitam. sicut ex multis
granis et racemis conficitur panis et vinum: referendo singula
singulis. Cum ergo accedis: caue ne dubitando vacilles et tam-
quam cecus manutentans baculo arundineo / scilicet argumen-
tis naturalibus et rationibus humanis querendo quomodo
ista fieri possunt. sicut quondam iudei litigabant. et quidam
discipuli abierunt retrorsum. Sed subice te ipsum et captiva
mentem tuam sub iugo fidei: quam tantis testimoniis roborata
vides. Quid enim dubitationis de hoc sacramento remanet
quod a christo tam expresse traditum: ab apostolis predicatum
a sanctis patribus orthodoxis tot centenariis annorum frequen-
tatum: tantisque ceremoniis et miraculis: prodigiis: et observa-
tionibus: quasi testimoniis palpabilibus confirmatum vides. Tol-
le hoc sacramentum ab ecclesia. et quid eris in mundo nisi er-
ror et infidelitas: et populus christianus quasi grex porcorum di-
spersus: et idolatrie deditus. sicut expresse patet in ceteris infi-
delibus. Sed per hoc stat ecclesia: roboratur fides: viget christi

Probatio.

Effectus sacramenti.